

ruit Pythagoras, ex eorumque concentu & harmonia vniuersa gigni. Et Aristoteles libros aliquot à se editos perinde ac si non fuissent editi, quadam ad Alexandrum epistola, testatur. Vides ergo artem Chemicam non esse artem nouam, aut incertam, vt ignarum vulgus putat.

---

## DE PVLVERIS, SIVE

### MEDICINÆ PHILOSOPHORVM ET auri potabilis materiâ & compositione.

#### CAPVT SECVNDVM.

Minima  
pars fæ-  
cum suf-  
ficat.  
Ignis se-  
cretus.  
Thermæ  
philoso-  
phorum  
Balneum  
Mariæ.

**I**LLA enim fit, ex pura argenti viui substantia, vice seminis feminæ, siue materiæ ac argenti viui, & ex mediocri & pauca sulphuris mundi auri, vel argenti, connaturalis & homogenei, vice maris, siue formæ ac sulphuris: igne artificiali, leni, æquali, humido, aereo, vapido, exhalabili, propinquo natura, subtiliter, & continenter mouente, digerente, & excitante tantum, & non vincente, virtutem mineralem formatiuam, siue coadiuuante proportionalem & naturalem ignem, optima commixtione coniunctorum, fæcibus heterogeneis primum suauiter, & magno ingenio sublatis, ad solutionem, & fixationem fusilem, permiscibilem, ignibus inexpugnabilem, & cum omnis perfectionis differentia perficientem, siue transmutantem, frequenti sublimatione, seu cōtritione & assatione deductorum. Interea dum plura de Harmonia Chemicæ, principijs naturalibus rei metallicæ & artis, ac operibus tum naturæ, tum artis, tibi per otium scribimus, hæc sufficiant, & boni consule.

DE